



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Sacerdos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

statuta & leges obligent ad mortale, vide tit. Lex.

SACERDOS.

SACERDOS debet scire legere, scribere, Scantare, & construere linguam Latinam: & scire formam & materiam cuiusvis Sacramenti, & modum administrandi illa. cap. 25. num. 133.

Omnes sacerdotes in sua ordinatione accipiunt æqualem potestatem absoluendis, quæ potestas & iurisdictio habitualis, conferitur Sacerdotibus iure divino, per Sacerdotalem characterem, & per suam consecrationem, non tamen accipiunt iurisditionem actualem, quæ prohibita est eis iure humano, donec assequantur illam ratione tituli, vel alia de licentia. cap. 4. num. 3. & cap. 27. num. 259. & 260.

At verò iurisdictio habitualis est adeò necessaria, ut sine illa non possit consistere absolutio. ca. 27. n. 272. §. 7. Et sicut huius exequutio interdicitur recens ordinatis, & vetatur eis iure humano, donec eis actualis conferatur ab Ecclesia. n. 259. §. 2. & 5. ita & eadem potest suspendi per excommunicationem, excepto articulo mortis. n. 272. §. 7. Atque extra istum articulum nullus Sacer-

Y Y dos

dos est idoneus confessor sine iurisdictione actuali collata, ab Ecclesia, neque est valida eius absolutio. cap. 6. num. 4.

Quocirca Concilium Tridentinum statuit sequens decretum, sess. 23, ca. 15.

Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absoluendi potestatem accipiant, discernit tamen Sancta Synodus nullum etiam regularem, posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem qua gratis detur, obtineat, &c.

Quilibet simplex Sacerdos potest in articulo mortis absoluere ab omnibus peccatis, & censuris. c. 4. n. 3. & ca. 26. n. 4. & c. 27. n. 277. & in hoc comp. tit. Articulus mortis. Imò quilibet simplex Sacerdos potest absoluere à venialibus, vel à mortalibus; aliàs rite confessis: non tamen sine iurisdictione actuali: saltem tacite ei collata. capite 4. num. 5.

De reliquis ad quæ tenetur Sacerdos ob officium, vide tit. Beneficium, Clericus, Horæ, Missa, Sacramenta.

SACRAMENTALIA dicuntur ea quæ ad Sacramenta paranda, conficienda, vel cõseruanda, sunt instituta. ca. 23. num.